

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
INOCVLATIONE VARIOLARVM EPIDEMICO  
CONTAGIO VARIOLOSO LONGE PRAE-  
FERENDA

---

AVCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
PRAESIDE  
D. SALOMONE CONSTANTINO  
TITIO

ANAT. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORD.

PRO GRADV DOCTORIS  
IN MEDICINA ET CHIRVRGIA  
RITE OBTINENDO

DIE 17. DECEMBRIS 1798

H. L. Q. C

AD DISPVTANDVM PROPONIT

AVCTOR ET RESPONDENS

CAROLVS AVGVSTVS FLEMMING

DRESDENSIS

MEDICINAE CANDIDATVS

---

VITEBERGAE  
LITERIS TZSCHIEDRICHII

Pathol. spec.

687 40.

2920



V I R O

ILLVSTRI, EXPERIENTISSIMO

D. IOANNI EHRENFRIED POHL

SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE CONSILIARIO AVLICO,  
THERAPIAE IN ACADEMIA LIPSIENSI PROFESSORI PVBLICO  
ORDINARIO, FACVLTATIS MEDICAE ASSESSORI, SOCIETA-  
TIS NATVRAE CVRIOSORVM ET OECONOMICAE

LIPSIENSIS MEMBRO

FAVTORI SVMMOPERE COLENDO

NEC NON

V I R O

EXPERIENTISSIMO, AMPLISSIMO

D. CHRISTOPHORO EVSEBIO RASCHIG

EXERCITVS SAXONICI MEDICO PRIMARIO, COLLEGII SANI-  
TATIS DRESDENSIS ASSESSORI

AVVNCVLO SVO DILECTISSIMO

HOC  
D. JOHANNI EHRENFRIED POHL  
SPECIMEN ACADEMICVM

PERPETVVM ANIMI GRATISSIMI TESTIMONIUM

D. CHRISTOPHORO EVSEBIO RASCHIG

D. D. D.

AVVINCULO SVO DILECTISSIMO

A V C T O R

*Breuis Variolarum historia.*

**A**ntequam inoculationis variolarum praestantiam demonstrari, quaedam de huius morbi historia mihi praemonenda esse videntur. Plerique scriptorum variolas genus phlegmasiae exanthematicae habent, morbum scilicet contagiosum, acutum, plerumque epidemicum, infantes imprimis corripientem, febre acuta continua incipientem, cum dolore capitis et lumborum, anxietate et inquietudine coniunctum; tertio vel quarto die punctis parvis, rubris, instar morfus pulicum accedentibus, quae faciem, manus et brachia, tum totum corpus deturpant, post tres quatuorue dies suppurant, sub epidermide, cutem exedunt, non raro foedissimas et profundas foueas in facie relinquunt.

Inde a saeculo sexto, aerae christianae, hic morbus, e causis nobis ignotis, se explicuit, latiusque serpsit. Permulti historicorum variolas ab Arabibus ad Occidentis incolas transgressas esse arbitrantur, cum alii, variolas prius in Gallia, quam in Arabia esse observatas, asserant. Nostris temporibus variolae ex vna regione in alteram migrant, sola vero contagione in alias transeunt. Regiones igitur quaedam inveniuntur, a quibus latior illarum propagatio, cura politicae, impedita est. Hic morbus veteribus sine dubio ignotus, ab Arabibus primo descriptus, diuersis temporibus epidemice atque latissime grassatus est, et omnes, vix vigesima parte excepta, homines inuadit. Sunt, qui dicant, variolas morbum exanthematicum referre, qui inter expeditionem aduersus hostes religionis christianae an. 1090 ex Asia ad Europaeos translatus, ibidemque semper grassatus, nec vnquam finem optatum assecutus fuerit, cum miasma, e quo variolae originem ducant, in ipso morbo regeneretur. Attamen variolas iam ante hoc tempus Europaeos vexasse, ex nomine Variolarum patet, quod,

si ad veras variolas referas, saeculo sexto inter Europaeos iam occurrunt. Post Christum natum 572 variolae Arabibus fuerunt notae, ad quos ab Aethiopibus a) peruenierunt. AARON erat a. 622 primus Arabum medicus, qui de variolis scripsit. Solius autem RHAZIS b) sub finem saeculi noni, egregia ac peritissima variolarum descriptio ad nos peruenit. Alii initio saeculi septimi, alii fine demum saeculi vndecimi et initio duodecimi, variolas per Saracenos ad Europae incolas peruenisse, aiunt atque contendunt. DIMSDALE c) tempore expeditionis cruciatae ex Asia ad Europaeos variolas peruenisse, easque per omnes Europae partes serpsisse, asseruit. Ab Europaeis variolae ad Americanos a. 1492 transferunt. Nonnulli, ineunte saeculo nono iam illas in Germania esse grassatas, credunt. In Anglia a. 1270 variolae iam innotuerunt, et ex hac insula, variis infectionis modis, latius in nostris regionibus se propagarunt. In Suecia variolarum primarum mentio fit a. 1578. In multis Europae regionibus multo serius apparuerunt. Regiones versus septentriones, a variolis immunes fuerunt, cum iam dudum per aliqua saecula in calidioribus terris regnassent. Nonnullis populis variolae ad nouissima vsque tempora ignotae fuerunt. Anno 1733 primo acceperunt habitatores Groenlandiae variolas ex Dania.

Annis 1768 et 69. peruenierunt primae variolae in Kamtschatkam, vbi antea omnino ignotae fuerunt. CALMYCKI liberi fuere tamdiu a variolis, vsque Russi easdem illis attulerunt, idem secundum GMELINI d) enarrationem, apud Sibiriae incolas obseruatum est, antequam Russi e) ibidem sedem figerent. Cayennae incolae f) variolas vsque ad hoc tem-

a) cf. MURRS *Journal zur Kunstgeschichte*, 3t. Th.

b) cf. RHAZES de variolis et morbill. ed. Ringebroig. Gotting. 1781.

c) cf. DIMSDALE pag. 307.

d) cf. GMELINS *Reise durch Sibirien*, Th. II. Vorrede.

e) cf. PALLAS *Reise durch verschiedene Provinzen d. Russ. Reichs*, Th. 3. pag. 25. 26.

f) cf. *Mém. pour servir a l'hist. de Cayenne & de la Guiane franç. per M. BAION*, T. I.

pus ignorant. Peruenerunt quidem a. 1766 in illum locum, exiguam vero stragem ibidem ediderunt, neque, quod omnino admiratione dignum est, latius sese propagarunt. Nonnullae gentes Tartariae variolis nondum sunt afflictæ; nec minus Insula Sct. Helena, cuius incolae diligentiam, quam possunt maximam, ad variolas arcendas, ne naues alienae easdem afferant, adhibent. Ex regionibus aliquibus contra variolæ prorsus euauerunt. Si obseruationibus ac relationibus CLEGHORN g) fidem habemus, ab a. 1725 usque ad 1742 in Insula Minorea nullæ variolæ obseruatae fuerunt. In nonnullas terras variolæ, valde diuersis ac imparibus temporum interuallis, redierunt, v. c. interdum annis 17, 12, 19, 9, 22, præterlapsis. In Rhodeislandia ab a. 1740 usque ad 1765 variolæ nunquam epidemice grassatae sunt.

Variolæ igitur procul dubio, in intima Africa ortæ, ab hac regione ad alias regiones propagatae sunt. Africa vero patria omnis luis, v. c. pestis, lepræ, ipsa lues venerea forte ex Africa originem ducit. Hoc miasma variolosum naturæ nostræ minime innatum, vt omnes homines cum hoc miasmate nasci, negandum sit. Quisque vero bene scit, quemque hominem, ne vigesima parte excepta, hoc morbo semel per totam vitam affligi. Sed nemo quoque ignorat, necessarias ad hunc morbum prædispositiones ita tolli, vt iure meritoque dubitandum sit, an quis variolis iterum fuerit afflictus. Pari modo vix credibile, variolas in nostro climate vnquam per se oriri, vti prima vice accidit, nempe ex concursu causarum earum, quæ variolas primo produxerunt. Haec de historia variolarum i) sufficiant. Diuisiones variolarum, vt in benignas, malignas, discretas, confluentes relinquamus, cum a fine nostro sint remotiores.

g) CLEGHORN, *Krankheiten von Minorca.*

h) HAYGARTHS *Untersf. wie den Blattern zuvor zu kommen sey*, Pg. 7. 8.

i) Secutus sum in hac enarratione præcipue VOGELIVM *Handbuch d. pract. Arzneywissenschaft*, Th. 3. §. I.

*Periculum cum variolis accidentalibus coniunctum, ex calculis hoc morbo mortuorum, probatur.*

Inter omnes satis constat, variolas generi humano maximum detrimentum afferre, cum omnes fere homines inuadant, nulli aetati parcant, omni tempore oriantur, sporadice aequae ac epidemice grassentur. Saepissime quoque aliis morbis variolae accedunt, eoque periculosiores ac perniciosiores redduntur. Plerique supponunt, variolas vix vigesimo homini parcere, k) et vulgo septimum, saltem decimum vel certe duodecimum, variolis obire. Londini, vrbe hominibus referta, intra annos sexaginta septem, 113851 homines variolis accidentalibus, mortui sunt. Neque tamen haec mortuorum computatio tanta, quantam SARCONE indicat, qui quartum quemque obire variolis statuit. Eiusmodi tabulam ex regno Sueciae nobis exhibuit ROSENSTEINVS. l) Similia nobis consignarunt alii auctores, imprimis SÜSSMILCH m) et BLACK, n) nec minus etiam HUFELANDVS. o)

§. 3.

*Extinctio variolarum piis desiderijs adscribenda.*

Inde a pluribus annis medici de exstirpandis variolis cogitarunt, licet impedimenta magna sane atque ardua haberent. Ante paucos vero annos FAUSTII, HUFELANDI, IVNKERI repetita consilia, multos medicos aequae ac educatores mouerunt, vt huius mali extinctionem proleui

k) cf. ROUGNON'S *patholog. semiot. Betracht. aller Verricht.* etc. P. I. p. 454. ed. D. KÜHN, Lpz. 1793.

l) cf. ROSENSTEIN, *Anweisung zur Kenntniss u. Kur der Blattern von 1798.* pg. 276. vbi e septendecim infantibus nouem, variolis accidentalibus laborantes, mortui sunt. Porro etiam eundem librum p. 261.

m) *Göttliche Ordnung*, Th. I. p. 531. Th. II. p. 440.

n) *Sterblichkeit des menschl. Geschlechts*, Lpz. 1789. p. 79 sq.

o) HUFELANDS *Bemerkungen über die natürl. u. inokulirten Blattern*, 1798. pag. 3 sq.



— 9 —

leui haberent conamine, Quorum opiniones laude quidem dignae sunt, experientia vero votis non respondit, nec vnquam respondebit. Omnes ii in eo allaborandum esse arbitrantur, vt contagium variolosum mitius reddatur, atque successiue deleatur.

Quidam enim medicorum, aiunt, lepram, quae totam Germaniam olim inuasit, atque in vltimis expeditionibus cruciatis vehementissime saeuit, iam ex nostra regione prorsus esse remotam. Causam huius felicitis euentus in regimine disciplinae publicae, et genere vitae quaerunt. Magistratus nempe eiusmodi aegrotis aedificia publica exstruenda curauerat, indusia lana confecta reiecit, et in horum loco lintea introduxit. Ex his colligi volunt, variolas etiam e terris nostris expelli, ac prorsus extirpari posse? Addunt porro exemplum de peste, quae ab eo tempore cessauit, a quo praesidia in limitibus ponebantur, et aduenis spatium quadraginta dierum, ad integram sanitatem probandam, fuit praescriptum. Quin quidam populi, vt Hottendotae, a variolis iterum plane sunt liberati. Si quis enim horum variolis affligitur, statim ab omnibus reliquis remouetur, aegrotos saepissime, variolarum morbo laborantes, in vastos efferunt agros, ac victum potumque ad corpus conseruandum, illis adponunt, atque sibimetipsis plane relinquunt. Neque minus in quadam vrbe Angliae nullae amplius variolae occurrunt, cum istius vrbis incolae, omnem contagionem extrinsecus inferendam, fugiant, videntque; quin, quam primum quis incolarum vel aduenarum, variolis affligitur, statim in aedificia huic consilio exstructa, et ab vrbe remota, defertur.

Tria vero consilia variolas earumque miasma fugiendi, adeoque ipsum morbum subinde plane extirpandi, dederunt. Primo contagium variolosum prorsus ab hominibus remouendum, vel in hominibus praedispositio variolarum miasma suscipiendi, delenda est, vel postremo homines tam diu, quam corpora ad variolarum miasma excipiendam apta sunt, omnem consuetudinem atque commercium cum aegrotis variolosis vitare debent.

Primum vero finem plane non assequi possumus, nec modus patet, quo hunc scopum attingamus, nec remedium, quod votis no-

stris respondeat, notum est, quin omnia, quae hoc consilio instituerunt tentamina, inania ac inutilia reperta sunt.

Altera conditio, latius patet, et praedispositionem ad variolarum miasma excipiendum, pro futuro forsan tollere suadet. Quod nec fieri, nec viribus nostris effici potest. Permulti conamina haec leuissima habuerunt, suaseruntque, ut quisque Europaeorum, nondum variolas perpeffus, vno eodemque die inoculandus esset, quo facto, cum omnes homines variolas iam superauerint, nulla amplius vigeret praedispositio, adeoque haec lues per se cessatura esset? Sed quantis difficultatibus haec opinio premitur. Omnibus hominibus, qui nondum variolis laborarunt, ne vnico quidem excepto, vno eodemque tempore eadem essent inferendae, et ita quidem, ut bona fide ac certissime asserere nobis liceat, neminem horum postea variolis subiectum fore, posterosque ab hoc morbo fore liberatos. Porro hunc scopum omnes principes, imperatores, reges, quin adeo singuli homines, adiuuarent necesse esset, quod solo communi quodam pacto liceret. Porro non liquet, et dubitandum omnino, num omnes ac singuli, sponte vltroque insitioni se subiicerent, an ad eam sustinendam cogendi et adhortandi essent. Omnes enim homines vno eodemque die, aut potius vna eademque hora, insitionem variolarum perferre oporteret. Scimus autem ex insitionum historiis, hanc apud nonnullos, qui hoc ipso tempore ad variolas haud dispositi sunt, eundem morbum non excitare. Quosdam eorum ergo, quibus variolae insitae essent, variolis non affligi, verisimile, quin nullo dubio subiectum est. Omnino vero incertum est, num omnes, quibuscum inoculatio sine prospero successu instituta fuit, a sequenti infectione satis sint securi. Addendum porro, haud exiguum infantum numerum intra tres ad sex hebdomadas, quibus variolae insitae decurrunt, nasci, quibus recens natis statim variolae essent inferendae, ideoque per inoculationem horum infantum, iterum spatium octo vel quatuordecim dierum, quin hebdomadam nonnullarum, praeterlabitur, quo alii in lucem eduntur, quibus etiam variolae sunt inferendae. Sic inoculatio in infinitum perdurabit, quin morbus variolosus magis amplificaretur, nisi, quod fieri nequit, hoc tempore coniugibus connubii officia mutua

— II —

denegarentur. Quis vero curator custosque foret? Equidem dubito, haec unquam imperari posse. Scriptores ergo de hac sententia, dispositionem ad variolas plane tollendi ac inanem reddendi, iure meritoque recesserunt, nec recentiorum ullus hanc opinionem amplius defendet.

Tertium nunc ultimumque consilium sequitur: Permulti ad hunc finem consequendum, ad miasma nempe variolarum, eiusque contagionem vitandam, vel prorsus extirpandam, eas suaserunt cautiones, quibus olim contra pestem, felici cum successu, usi fuimus. Alii mansuetudine et lenitate, alii contra vi et rigore, finem assequi voluerunt. Quidam medicorum, ut FAVSTVS, variolas intra annos viginti, posse et debere plane deleri dicunt, atque contendunt. Alii contra modestiores, paucos annos tanto operi peragendo minus sufficere bene persuasi, longius temporis spatium ad hoc absoluendum sibi sumunt. Hinc igitur viae, quas ad hoc negotium subeundum inierunt auctores, admodum sunt diuersae. Toti Europae talia praescripserunt praecepta, quae olim ad pestem cauendam lata fuerunt. Praesidia limitanea poni voluerunt, ne ullus, qui forte miasma variolarum secum gereret, statim in terram immitteretur. Porro quadraginta dies extra urbem commorandum est, ut aduenae aliquamdiu ibidem versari, vestesque suas deponere possent, ut et omnium reliquarum rerum necessariorum diligens cura gerenda esset. Si quis vero ciuium nihilominus variolis affligeretur, huius domus claudenda, custodienda, atque tabula suspensa insignienda, cui inscribendum sit: huic domo variolis laborantes insunt. Ad portas porro custodes collocandi sunt, qui aduenas omni diligentia contemplari, atque de variolis studiose inquirere deberent, ne miasma variolosum cum iisdem in urbem perueniat. Sunt porro, qui omnem fiduciam in aedificia, quorsum variolis laborantes deferantur, ponunt. Haec in secretis atque ex vrbe prorsus remotis locis exstruere, ibidemque aegrotos infantes, et aetate prouectos, diuites egenosque, quicumque demum sint, deducere iubent. His aegrotis certi medici famulique ad seruitium destinandi sunt, qui hac in re bene versati, munditiei maxime studeant. Reconualescentes autem antea per longum tempus, extra urbem

commoerentur. Nobis vero hucusque causae rationesque sunt ignotae, quae lepram ex regionibus nostris remouerunt, ac quasi propulerunt. Quid vero pestem attinet, eiusdem dispositio non semper corpori inest, cum, quo tempore pestis in Oriente grassetur, non omnes, quin euangelicis exceptis, paucissimi modo, sibi prospiciunt, nec omnes peste afflicti ab eiusmodi aegrotis secernuntur ac remouentur, aliqui, saepe permulti, peste non affliguntur. Medicus optimus quisque lubenter concedet, praedispositionem ad variolas crebriorem ac maiorem esse, quam illam ad pestem. Neque mutatio anni temporum, progressum variolarum adeo facile impedit, quam progressum pestis, cum posteriori a quibusdam anni temporibus, fines constituuntur. Finisgamus vero, nos variolas attento studio ac cura protracta, per multos annos, a oppido quodam, aut a tota regione arcere, ita, ut haud exiguus hominum, variolas nondum perpefforum numerus, adoleuerit, veteres medici plerumque mortui, iuniores vero ipsi variolis nondum essent afflicti? Quantas strages variolae in eiusmodi vrbe aut regione ederent, omnes pene inuaderent, partim enim ipsi medici variolis affligerentur, partim medici tantam aegrotorum copiam minus attente tractare possent, partim aegrotis medicantes essent defuturi. Quis ergo ex illis studiis, ciuitati magna promittet comoda? Plus damni, quam emolumenti exinde in ciue redundabit. Defensores regerunt officium esse purum, praeceptis ethices congruum. Sed consideremus, nobis negotium esse cum hominibus, quales sunt, non quales esse deberent. Quomodo tandem sperandum est, fore, ut vnusquisque commercia cum aliis euitet; aut ut quisque, qui nondum variolas perpeffus fuerit, constituto die insitionem subeat. Neminus minus monendum est, miasma variolarum vestibis, aliisque rebus inhaerendo, in omnia fere loca transferri posse. Quaestio porro mouenda est, vtrum aedificia in eiusmodi aegrotorum vsum constructa, sine omni dubio, fini optato responsura sint? Equidem dubito, saepissime enim ab initio morbi minus certo, finire possumus, vtrum exanthema variolosum, an alius generis instet. Infecta quoque, v. e. musca, ex domo varioloso aliquid puris variolosi ad alium sanum, quin in vrbem ad eos transferre potest, qui per multas hebdomades in-

clusi, fenestras modo aperiunt, cum haud ignoremus, miasma variolarum maxime communicari posse. Denique nondum inter omnes fatis constat, num variolae nunquam absque contagione oriri possint, primae variolae omnino sponte prodierunt, postea vero ad nostra usque tempora se propagarunt, nec spes amplius fouenda, fore, ut denuo plane sint cessaturae.

Ex antea dictis iam patet, extirpationem variolarum ad pia pertinere desideria, quae praesente rerum statu expectari haud debeat. Quasdam tamen experientia nobis suppeditavit cautelas, quibus vi variolarum imminuendae, earumque stragibus feliciter coercendis, pares reddimur. Nouimus enim aegrotos variolosos vitando, ipsam miasmatis variolosi infectionem euitari. Si ergo dispositionem ad hunc morbum haud plane tollere valeamus, nobis tamen relictum est benignas eligere, ne malignae appareant. Quem finem assequimur tum per diaetam rei conuenientem in iis annis, quibus infantes maxime variolis affliguntur, tum, quod adhuc praestat, per insitionem, qua multa hominum millia morti fuerunt erepra, quae in epidemia maligna succubissent. Haec considerantes, insitionem variolarum beneficium habebimus, arti salutari in acceptis referendum. VOGELIUS p) praecipue salutare inoculationis effectus maxime laudibus extollit, atque studium cuiusdam sacerdotis EISEN in Liuonia de insitione variolarum, qui intra duos annos fere 500 infantes cum felicissimo successu inoculauit.

Nos quoque nunc de insitione variolarum agamus, easque minus lethales esse, primo probemus, deinde praeparatione ad hunc morbum, variosque modos variolas inserendi perlustremus.

#### §. 4.

#### *Variolae inoculatione productae minus euadunt lethales.*

Experientia compertum habemus, febrem, omniaque reliqua symptomata, cum variolis insititiis coniuncta, multo mitiora et leniora

p) cf. VOGELS *Handbuch für angeh. Aerzte*, Th. 3. 1794. pg. 126.

esse, quin ipse variolarum numerus multo minor, ut aegroti ambulare possint, neque lecto assidue inhaerere cogantur. Constitutiones contra epidemicae, malignae imprimis, maximas strages edunt, atque robustiora firmioraque corpora aequae, ac imbecilliora et inuaidiora, nullis fere exceptis, frequentissime occidunt. Omnia ergo pericula, variolis accidentalibus imminentiā, insitione vitare possumus? Huius lenitate e multis hominibus modo paucissimi obeunt, et saepe aliis de causis, atque funesta complicatione morbosa. Bona vero variolarum insitarum indoles exinde quoque patet, quod opportunissimum ac commodissimum anni tempus, aetatem constitutionemque aptiorem eligere, atque corpus ad hunc morbum facilius sustinendum, antea praeparare possumus, ne morbus inopinatus inexpectatusque irruat. Non idem est teste q) VOGELIO, qua aetate, ac quo anni tempore homines variolis affligantur? Nonne praeparatio conueniens corpus validius, firmitus, atque omnino ad quemque morbum melius perferendum aptius reddit? Eiusmodi praeparatione v. c. cruditates primarum viarum, vermes et plura, e corpore remouentur, animus erigitur, obstructions resoluuntur, aliaque necessaria peraguntur. Denique nobis relictum est, puris variolarum benignarum eligere; cum experientia edocti scimus, variolas diuersis temporibus plus minusue malignas esse. Cur vero opportunitate, quam aetas, corpus, puris benignitas offert, non utamur; nosmetipsos accusaremus, si infans variolis accidentalibus e vita decederet, quem hoc modo saluum ac incolumem conseruare potuissemus? Vna vero medicorum summorum, ad inoculationem instituendam nos excitantium, fere vox est. Legamus scripta TISSOTI, ROSENSTEINI, CAMPERI, DIMSDALI, HENSLERI, LETTSONI, RAHNII, HEINSII, et praesertim HUFELANDI atque VOGELII. Quantopere hic parentes medicosque ad insitionem variolarum suscipiendam adhortatur? quam perspicue inoculationis commodum ac praestantiam alios docet, eamque commendat? Euoluamus eiusdem librum, r) quo ingenue fatetur: „Hoc me maxime

q) cf. VOGELS *Handbuch*, Th. 3. 1794. p. 139.

r) cf. Idem l. c. p. 143.

pungeret, si infans, mihi commissus, variolis accidentalibus moreretur, cui variolas inferendi commoda occasio fuisset, quam vero omissem, licet hunc infantem variolarum insitione integrum ac incolumem conseruare potuissem, nunc vero eius mortis causam atque occasionem eadem ratione praebuissem, ac si quodcunque aliud spectatum medicamentum ad illum conseruandum neglexissem.“ Addit loco citato s) sibi experientia persuasum esse, saepissime ne vnicum quidem remedium restare, quod magnas variolarum accidentalium caedes, ac saeuitiam, coërcere possit, quam insitio. Idem alio in loco, se haud raro, grassantibus variolis malignis, maxima cum voluptate, laetitiam atque animi tranquillitatem parentum animaduertisse, quorum infantes iam antea prosperrimo cum successu hunc morbum superauerant, ideoque ab omni contagionis periculo tuti liberique erant, dum alii infantes frequentissime morerentur, aut saltem maximum periculum subirent. Similia alii praeceperunt auctores. t) „Cum ergo variolae accidentales adeo periculosae sint, inquit ROSENSTEINVS, v) dolendum ac conquerendum est, de praeconceptis opinionibus, latiori insitionis propagationi repugnantibus, quamuis inter omnes satis constet, vix e mille infantibus, quibus variolae insitae sunt, vnicum mori.“

## §. 5.

*De praeparatione atque cautelis inoculationi variolarum praemittendis.*

Ante omnia subiecta eligenda sunt, quibuscum inoculationem instituire nobis licet, sic infantibus, minus firma valetudine gaudentibus, variolae non sunt inferendae, quamuis varii morbi per variolarum insitionem depelli videantur. Ad variolas inferendas ergo scrophulosi, scabiosi, potissimum vero venerei homines, haud eligendi sunt, licet inoculationem in his, quin adeo in venereis, prosperrime succes-

s) libro laudato, P. III. pg. 136.

t) cf. ROUGNON loc. cit. P. I. p. 454.

v) ROSENSTEIN, *über Kinderkrankheiten*, 1798. p. 288.

sisse, exempla existant. Haec non sunt imitanda. Infantes potius firma valetudine praeditos, minus aetate prouectos, neque tamen tenerrimos, qui vix sex hebdomades expleuerunt, eligamus, nisi necessitate urgente, periculum epidemiae malignae illo tempore instet. Primo enim scimus, lactantes minus in miasma variolarum quam adultos, inclinare. Porro omne nutrimentum pueri a virtute lactis, terrore aut ira nutricis, facillime mutanda, pendet. Cum vero haec gracilis aetas conuulsionibus facile subiecta sit, fatius mihi esse videtur, primae dentitionis tempus expectare. Quodsi lactantibus inferendae sunt variolae, peculiarem nutricis rationem habeamus, cui medicamenta necessaria cum iusta diaeta, commendanda sunt. Quibus vero dentes erupturi sunt infantibus, ii variolis non sunt exponendi. Aetas ergo opportunissima intra secundum sextumque annum incidit. Illo enim tempore omnes primarii dentes existant, qui septimo fere anno rursus excidunt, ut post octauum annum, qua aetate dentes secundarii siue permanentes, rursus eruperunt, insitio tentari possit. Mox enim aetas pubertatis prodit, qua inoculatio variolarum minus prospere succedit, licet ea etiam aetate variolae felicissimo cum successu nonnullis insitae fuerint, ut et in quibusdam senibus idem auderent. Puellis puberibus variolae statim post menstrua transacta, inferendae sunt, ut omni morbo, si fieri potest, antequam menstrua denuo prodeunt, finis imponatur. Grauidis mulieribus variolas inferere, audacia foret, cum febris accedens posset abortum efficere.

Priusquam vero variolas inferimus, necesse est, pectoris, respirationis, alui, rationem habere; praeterea animus sit erectus ac hilaris, et reliqua sanitatis verae signa adsint. Iis vero infantibus, quibus aluus obstructa, densa, cutis scabiosa, qui debilitate nervorum laborant, qui ad hydrocephalum, rachitidem aut morbos chronicos praedispositi sunt, variolae non inferendae sunt. Non negabimus vero, scabiosos venereosque homines felicissime variolarum insitionem superasse, fatius tamen mihi esse videtur, in eiusmodi subiectis ab inoculatione abstinere.

Tempus porro anni opportunum, inoculationi destinandum est, quo epidemica constitutio periculosa, ut febres biliosae, inflammato-  
riae,



riae, putridae, dysenteriae, ac eiusmodi alii morbi grassantur. Maxime opportunum anni tempus ad inferendas variolas est vernale, a mense Aprili usque ad mensem Iunium, his mensibus horae antemeridiana eligendae, quibus irritabilitas maior ac vehementior, sanguinis circulatio quietior, resorptio puris celerior est. Aetati senili variolae accidentales propter irritabilitatem imminutam, et difficiliorem humorum commutationem, maximum afferunt periculum. Permultum enim ab aegrotorum viribus pendet. Quorum vires sunt exhaustae, quorum corpus ex fonte qualicumque debilitatum est, maius periculum subeunt, quam prospera valetudine gaudentes.

Aequale vero periculum cum variolis coniunctum, a vitae genere ac diaeta aegroti imminet. Infantes, qui modo carnem aut herbas comederunt, maius periculum subeunt. Plurimum pendet a variolis laborantium tractatione ipsa, regimen enim nimis calidum, euacuanti neglecta, celerem reconualescentiam admodum impediunt, maxime vero huc pertinet victus praeus, quo saepe benignae variolae in malignas degenerant. Aequae vero aegrotis huius generis magno detrimento est, si ipsis liberioris aëris usus denegatur.

Periculum aegrotorum etiam nititur indole ipsius miasmatis, quod contagionem effecit, ut si miasma variolarum ab eo aegrotosum fuerit, qui alio morbo adhuc laboravit, ut lue venerea, scrophulis, et sic porro. Hinc insitio variolarum accidentalibus longe est anteponenda, quoniam pus variolosum ab aegrotosum, morbo haud complicato laborante, potest repeti. Inter qualitatem miasmatis variolosi magnum intercedit discrimen, ut dispositio ad benignas aut malignas variolas non apud omnes una eademque sit, alii ad benignas, alii ad malignas procliviores observantur. Sunt quidem signa, quae imminentes variolas produnt, cuius vero generis, num benignae, aut malignae futurae sint variolae, praevidere non licet.

Eadem ratio est signorum, quae nobis probabilem de benignitate spem excitant: Si corpus modice nutritum, cutis mollis, vultus alacris, si ab initio epidemiae infectio, si cruditates in primis viis absunt, spes de optimo exitu alenda est. Magni etiam interest, ex

quam stirpe quis ortus fuerit, si eiusdem fratres aut sorores variolis benignis olim decubuerunt, saepissime sperare nobis licet, hunc etiam benignis variolis esse laboraturum. Si contagionem haemorrhagia narium praecedat, bonum est indicium, non minus exoptatum est, si exanthemata passim apparent. Malignas vero variolas timemus, ubi signa contraria locum habent, praecipue si corpus imbecille fuerit, hinc grauidis et puerperis praesertim infestae sunt. Ii etiam, qui lue venerea laborarunt, multisque mercurialibus vti sunt, plerumque variolis malignis affliguntur, ut infantes, quorum matres fluorem album malignum habuerunt, praecipue variolis malignis obnoxii sunt. Foeminae catameniis irregularibus laborantes, aut matrimonio recenti iunctae, variolis plus periculi subeunt. Plethora, diathesis inflammatoria, cruditates primarum viarum, gignunt variolas inflammatorias biliotas. Praui ac perditii humores efficiunt malam suppurationem. Frequentissime vero videmus, eos, quibus faustissimo omine benignas variolas tribueres, haud raro variolis malignis affligi. Cuius rei ratio nobis ignota est, ut medicus in prognosi variolarum prudens cautusque esse debeat. Quoties vero malignarum variolarum mentio fit, ad cogitandum adducimur, numne forsitan medicina quaedam existat, quae periculum ac vim variolarum accidentalium, cohibere possit. In promptu vero est remedium, quod vehementiae malignarum variolarum semper fere infrigendae par est, inoculatio scilicet. Maximae enim utilitati cedit, si antea corpus a cruditatibus oneratum liberatur, si dispositio inflammatoria imminuitur, si opportunissimum anni tempus eligitur; si, quantum fieri potest, complicationes cum aliis morbis tolluntur. LENTINVS x) ergo repetita vice in epidemiis variolosis, sua experientia comprobavit, quantum valeat corpus ad hunc morbum praeparare. Illis enim infantibus, quorum parentes ab inoculatione abhorrebant, pilulas ROSENSTEINII praeseruativas exhibuit. In hac epidemia Lueneburgensi, de infantibus, quibus nulla cura praeseruativa fuerat adhibita, 95. variolis accidentalibus obierunt, cum ex

x) LENTINS *Beyträge zur ausübenden Arzneywissenschaft*, 2ter Bd. Leipzig 1798. S. 8.

illorum numero, qui ad morbum fuerant praeparati, duo, et de iis, qui insitionem fuerant perpeffi, nullus infans obiret.

## §. 6.

*De optima variolas inserendi methodo.*

Variolarum inoculationem eam operationem chirurgicam appellamus, qua pus variolosum sic corpori applicatur, vt mox per vascula minima resorptum, in sanguinem deferatur, ibique ipsas variolas producat. Hanc apud Asiaticas quasdam gentes, a vetustissimis inde temporibus, vsitatam fuisse, memoriae proditum est. Postea in Europam, primo in Angliam, ex hac in Galliam, Heluetiam, reliquasque prouincias, felicissimo cum euentu fuit introducta. Primo pus variolosum ab aegroto, maxima cum cura ac diligentia, repetatur. Variolas enim benignas esse, et ad perfectam maturitatem peruenisse, oportet. Omni- no vero praestat pus recens, integrumque eligere, atque scalpello, pure variolarum modo apertarum tincto, vulnus efficere. Puris ergo fluidioris causa eiusmodi vlcus variolosum, quod vix in suppurationem transiit, praefendum est illi, quod diutius in suppuratione ver- sabatur. Tutius vero est pus instrumento applicatum, mox in vsum vocare, cauendum enim, ne teratur ac detergatur. Sic v. c. commo- de pus testae vitreae illinitur, atque in vitro bene obturato, ad vsum seruatur; neque minus pus variolosum ope fili conseruatur, quod cum acu aliquoties per variolas suppurantes transmittitur, et postea in vitro bene clauso asseruatur. Quodsi fila pure tincta, aëri humido exposita fuerint ex medicorum nonnullorum obseruatione, quodam- modo putrescere, atque per putredinem variolas valde malignas pro- creare possunt.

Operatio ipsa hoc modo perficitur: Quidam, inprimis recen- tiores, vulnusculum infligunt cuti cum lanceola, recenter pure beni- gno infecta. Nullam admittunt praeparationem, modo aeger in aëre frigidiore versetur. Aliis lubet acumen scalpelli, aut acus planae, acutae, ancipitis, pure recenti imbuere, acumen oblique sub cutem externam ducere; scalpellum nunc sursum et deorsum mouere, quo

certius pus inferatur, scalpellum vero retrahendo, vulnus cum pollice sinistrae manus premere, ne quid puris pereat. Sic pus sub cutem fertur, ita tamen, ne haec separetur. Postremo paululum emplastri anglicani vulneri haud raro imponimus.

Si vero pure recente caremus, filum pure infectum, vsuique servatum, adhibere licet. In hunc finem filum pure infantis, quod variolis benignis, alio morbo non complicatis, laborat, tingitur. Si fieri potest, aeger eligatur, qui quartum annum absoluit, et pubertatis tempus nondum emensus est. Si phlethoricus fuerit, vena secatur, et laxans quaedam medicina exhibetur; victus tenuis, decoctum antiphlogisticum ipsi praescribitur, cubiculo moderate calido continetur. Hinc vernum tempus praefertur, quo aër nec frigore, nec caliditate excedit. Infigitur ipsi paruum vulnusculum, plerumque in brachio, vel femore, vel manu, cui fomes variolosus inferitur.

Nonnulli medicorum pulverem crustarum variolosarum ipsum, ad insitionem commendarunt, ideoque variolas decedentes colligere, in pulverem redigere, eumque in bene obturato vase, vsui servare iusserunt. Secundum horum consilium, epidermis primo soluitur, et nuda cutis cum illo pulvere teritur, deinde epidermis soluta imponitur, digitoque comprimitur, ita, vt epidermis rursus cuti inhaereat; aut filum xylinum hoc pulvere teritur, et ope acus bis terue inter epidermidem ac cutem transmittitur, tandemque educitur.

Quidam medicorum, infantibus ictum timentibus, variolas emplastro vesicatorio leni, vel cortice Mezerei inferunt. Paruum vesicatorium cuti imponunt, vesicam inde ortam aperiunt, humorem collectum exprimunt, pulveremque crustarum variolosarum inspergunt, aut fila pure varioloso tincta, vel recens pus in vulnus inferunt, ac epidermidem rursus imponunt. Iure vero timendum, ne vlcus, latius vel profundius serpens, hanc methodum subsequatur.

Sunt inter medicos practicos, qui insitionem cum phlebotomo, pure recente inquinato perficiant; quae methodus valde incerta, neque satis tuta est.

Faudent quidam methodo Suttonianae, y) qua inter epidermidem ac cutem, lanceola, antea recenti pure imbuta, minus profundos ictus efficimus. Acumen lanceolae paululum sub epidermide, in vicinia insertionis musculi deltoidei immittitur, subtiliter mouetur, et sub epidermide quasi detergiur. Quo facto instrumentum educimus, et quo melius pus variolarum resorbeatur, cum pollice aliquandiu terimus. Haec operatio in utroque brachio bis terve repetitur, qua totidem variis, pari modo pure infectis lanceolis, utimur, ita, ut haec tria vulnera intra spatium digiti quadrati fiant. Vix sanguinis gutta profluit, si vulnera iusse fuerint applicata, nec deligatione opus est.

GATTI locum in latere externo manus, inter pollicem digitumque indicem, eligere suadet, minus vero hic locus a vi externa, pulvere, ictu, satis est munitus. Alias insitionis vias alii laudarunt, quas reticeo, et cum nonnullis medicis z) incisionem ope lanceolae in vnum, aut utrumque brachium, haud profundam, ne sanguis effluat, praefero, aperturae filum pure vberime tinctum imponitur; vel acumen lanceolae, pure infectum, in brachia, vel inter pollicem digitumque indicem, sub epidermidem, mittunt.

Quocunque modo fiat insitio, vulnuscula plerumque primum collabi videntur, sponte vero sensim mirum in modum ampliantur, et ingentem puris copiam fundunt. Paucis post incisionem diebus, variolae efflorescunt, quas fere semper distinctas, mitesque esse autores notant; ita, ut si aegri, modo aëre frigidiore, et diaeta antiphlogistica vtantur, sine grauioribus symptomatibus, hunc morbum perferant.

### §. 7.

#### *De insitione variolarum aliis commendanda.*

In fine denique huius libelli, quo inoculationis causam egi, quaedam addam, quae mihi ad variolarum insitionem latius propagandam, optima et conuenientissima esse videntur.

y) cf. ROYGNON loc. cit. P. I. pag. 465.

z) cf. VOGELS *Handbuch*, P. III. pag. 147.

Primo medicos ipsos de pretio operationi insitionis variolarum statuendo, sibi habeant persuasum, necesse est. Minime enim alias, integro animo eandem aliis suadere atque commendare possunt. Perpendamus, quaeso, magnum hominum numerum, qui accidentalibus variolis mortui sunt, ac quotidie iisdem occumbunt, cum exiguus eorum numerus sit, qui variolis insititiis, plerumque male tractatis, mortem obierunt. Utilitatem ac commoda, quae nobis insitio variolarum, ad morbum humano generi maxime infestum, et quasi necessarium, depellendum praebet, parentibus ante oculos ponere studeamus. Quorum prudentiores haud dubie nobis assensum dabunt. Enarremus parentibus magnum periculum cum accidentalibus iunctum, atque comparemus, quam facile variolae per insitionem superentur. Hostem enim aduenientem expectare, atque congrua contra illum arma capere possumus, haud inexpectatos enim inuadit. Commodum anni tempus, aetatem idoneam, benignum leneque pus variolosum, eligimus, et si opus est, corpus etiam praeparamus. Medicorum proborum studia imitanda sunt, qui officium habuerunt, morbum tam vehementem ac letalem, quem non prorsus extirpare possumus, saltem minus periculosiorem reddere.



## T H E S E S.

I.

*Fluor albus, qui breui tempore tuto curatur, benignus est,  
licet sit venerens.*

2.

*Optima diuisio medicamentorum ex eorum effectibus in corpus  
animale repetitur.*

3.

*Medicamenta quaedam specifica in arte salutari omnino exstant.*

4.

*Radix squillae reliquis remediis diureticis praestat.*

5.

*Adstringentia initio dysenteriae non sunt adhibenda.*

6.

*Ad catamenia reuocanda medicamentis pellentibus haud utendum est.*

7.

*In plurimis infantum morbis emetica purgantibus praefenda sunt.*

8.

*In cura morborum medico ad idiosyncrasiam, consuetudinem, et temperamentum, respiciendum est.*

